

finem applicandos, interposita suae Sacrae Majestatis requisitione in Sacro Romano Imperio et vicinis Provinciis, more antiquitus observato, ut Contributiones fiant; sua Majestas clementer efficere dignetur.

*De praesidiariorum militum numero complendo: Eorumque stipendiis rite exolvendis: Dependentiaque a Confiniorum Capitaneis habenda.*

#### A r t i c u l u s 4.

Quantum porro ad certum et continuum stipendii militaris cursum ac administrationem attinet; post miserabilem Confiniariorum inopiam et paucitatem demisse sibi repraesentatam, sua Sacratissima Majestas benignissime decrevit; ut deinceps in Ungaria pariter et Sclavonia, tam pecuniaria solutione ipsis opportunius, quam hactenus fuit, succurratur; quam vero pannus et alia, quae in eorum contentationem dari consueverunt, competenti pretio distribuantur.

*De Tricesimis sub Jurisdictione Sacrae Coronae erectis ad Cameram Posoniensem applicandis: Filialibus vero facta inquisitione deponendis: Judaeisque ab arendatione earundem amovendis.*

#### A r t i c u l u s 15.

Quamvis Anno superiori post clementem suaे Sacrae Majestatis resolutionem in Comitiis Soproniensibus Anni 1625. Art. 23. elargitam, Tricesimae ab Adriatico Mari usque ad Posoniensem erectae ad Cameram Posoniensem applicandae fuerant; quia tamen ejusmodi applicatio hucusque facta non est; statutum est: Ut deinceps ea omnino realiter effectuentur.

*De pulsione Boum quaestus causa indigenis Croatiae et Sclavoniae libera permittenda.*

#### A r t i c u l u s 19.

Porro de interdicto illo Camerae Styriacae, per quod quaestura et pulsio Boum Indigenis Regnorum Croatiae et Sclavoniae prohibita erat; decretum est: ut tollatur.

*De limitibus Partium Regni ad Segniam, Thersact et portum Buccari: Juribusque Dominorum Terrestrium salvis habendis.*

#### A r t i c u l u s 23.

Ut sua Sacra Majestas juxta benignam suam oblationem curare dignetur; ne per tractatus externarum Provinciarum libertati ac limitibus Regni, ac maxime sylvis, Alpibusque Segniensibus, Arcique Thersact, ac portui quoque Buccari,